



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 30. Et accepto pane. v. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

pectent. Laudo nunc Deus sapientiam tuam & bonitatem & disciplinam. Doce me quoque semper vnum sentire & loqui cum his qui in tua Ecclesia sunt Doctores constituti.

§. 30. *Et accepto pane. v. 19.*

Iam cum honore terminatam vidimus veterem legem & vetera sacrificia & cæremonias, & ecce confestim exortitur Regnum Dei, instituitur veneranda altaris Sacramentum Nouæ legis sacrificium, ordinantur sacerdotes, disponitur regnum Dei, vti per singula videbimus enucleantes. At tamen hoc loco pullat dubium, nihilne moræ inter veteris legis abrogationem & Nouæ exortum intercesserit? Ego Dominum à mensa surrexisse, præcinxisse se, & misisse aquam in peluim, & pedes discipulorum lauisse, & ea quæ Ioannis cap. 13. vsque ad versum 16. commemorantur, gesta fuisse contendo. Tum post humilitatis commendationem, & exemplum datum, à se, commendatum discipulis, statim apertum esse regnum Dei *accepto pane* & c. vti mihi commemorat Euangelista: & peracta communionem & Sancta colloquutione discessisse Iudam è mensa, ut refert Ioan. cap. citato à versu 16. ad 30. Illo digresso ad facinus statim secutum esse sermonem admirabilem Domini in cænaculo, à Ioanne cap. 13. a. v. 30. per cap. 14. 15. 16. ac 17. descriptum.

Domine considerans opera tua expauesco & lætor, expauesco ad sublimitatem & maiestatem, lætor videns humanitatem operum & virtus & verborum tuorum. Deus meus es tu. in te gloriabor. stabo & attendam quid facias cum accepto pane illo, in quo Regnum Dei aperire & reuelare cæpisti.

§. 31. *Gratias egit. v. 19.*

Accepto pane, in *Sanctas ac Venerabiles manus suas* (uti loquitur Canon Missæ Romanus à S. Petro Apost. ordinatus) Dominus Iesus primam Missam inchoaturus coram Apostolis suis, cæremonias certas elegit, sub quibus hanc primam missam suam celebraret, sacerdos ille in æternum secundum ordinem Melchisedech constitutus à Patre æterno. Sicuti autem fuerunt aliæ quædam cæremonie constitutæ à Deo per Moysen, quibus celebraretur primum pascha in Aegypto à Iudæis, & aliæ cæremonie, quibus celebrarentur Deuteropaschata seu memorialia primi paschatis, in secutis ab inde annis (uti ostendi §. 1. huius commentarij) sic etiam aliæ fuerunt quædam cæremonie obseruatæ à Christo Domino in sua prima Missa, & aliæ per spiritum S. iussæ obseruari in missis postea secutis post passionem Domini, idque meritissimo iure ita ordinatum fuit à sapientissimo Domi-

D

50